

citatur in libro Paralipomenon, quare ante librum Paralipomenon regne ac ante libros Regum (nam in iis hic et alibi citatur) conscriptus est. Vide Abulensem, Proem. in lib. *Paralip.*

21. PORRO ROBOAM, — finitis gestis Jeroboam primi regis Israel, transit ad gesta Roboam primi regis Juda.

Ut PONERET NOMEN SUUM ISI. — « Nomen, » id est nomen sui cognitionem, fidem, cultum, adorationem æque ac celebritatem, famam, gloriam, miracula, oracula, etc. In Jerusalem enim erat templum, sacerdotes, pontifices et prophete, qui populum in Dei fide cultuque instruerent et promoverent.

NOMEN AUTEM MATRIS EJUS NAAMA AMMANITIS, — nimirum soror aut filia Sobi, quem David loco Hanon bello victi regem Ammonitarum constituerat, qui proinde ut arctius sibi Davidem devinceret, petiit, ut Naama daretur uxor Salomoni filio Davidis, ut dixi II *Reg.* xvii, 27. Concessit id David, eo quod Naama ad Judaismum se converti velle diceret; sed Vatablus et Emmanuel Sa, alii que suspicantur fictam et simulatam fuisse ejus conversionem, adeoque ipsam in corde mansisse gentilem, et deorum suorum cultuque impio ad

et cap. xii. Causa idololatriæ fait partim malef Roboam, puta Naama jam dicta; partim uxor Maacha, de qua vers. 24; partim vicinia idololatriarum: omnes enim Genes in circuitu, ac præsertim decem tribus Israel colebant idola, ac multæ ex eis florebant pace, opibus, deliciis, atque Judæos sibi vicinos illiciebant ad sua idola colenda, promittentes eis a diis suis similem rerum abundantiam.

24. SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA. — *g. d. Vers. 1.* Idololatriæ permittente Roboam constituerunt lupanaria, non tantum meretricum, sed et puerorum meritoriorum, seu scortorum masculorum, catamitorum, ad præposteram et execrandam libidinem, qualia constituit impius Simon, II *Machab.* iv, 9.

Ecce fructus idololatriæ, æque ac hæresis, est libido, eaque infamis et horrenda; hæc enim colunt spurci demones, quos in idolis adorabant, ut homines ad omnem spurcitiam omneque scelus impellant, ad Dei creatoris sui injuriam, æque ac ad ejus offensam et vindictam concitandam.

25. IN QUINTO AUTEM ANNO REGNI ROBOAM (ponente *VERS. 25.* Deo ejus apostasiam et idololatriam) ASCENDIT SESAC REX EGYP TI IN JERUSALEM, — cum sexaginta milibus equitum, et viginti milibus peditum, et viginti milibus

sionem deprecati sunt a Deo, II *Paral.* xii, 12, tum quia rex Roboam videns Sesac vastare Judæam, cum suis respicit dicens: « Justus est Dominus, » ut dicitur II *Paral.* xii, 6, ubi et additur: « Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, et boque eis paucillum auxilii, et non stillabit furor meus su-

per Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum: » quid scilicet intersit inter servire Deo et servire homini, puta Sesac regi. Deus enim suos servos dilat et exultat, Sesac vero deprimit et spoliat. Denique ibidem de Roboam vers. 14, dicitur: « Fecitque malum, et non preparavit cor suum ut quæreret Dominum. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Roboam succedit filius impius Abiam, huic pius filius Asa, qui vers. 12, misert idola et effeminatos, ac Maacha matrem suam sacerdotissam Priapi. Asa pio succedit pius filius Josaphat, vers. 24. Jeroboam vero impio regi Israel succedit impius filius Nadab, quem Baasa occidit, totaque ejus familiam suæcidiit.

1. Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam.
2. Tribus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Maacha filia Abessalon.

et ligna ejus, quibus aedificaverat Baasa, et extruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, et Maspha. 23. Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universae fortitudines ejus, et cuncta quae fecit et civitates quas extruxit, nonne haec scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suae doluit pedes. 24. Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate Davi patris sui. Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo. 25. Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda: regnavitque super Israel duobus annis. 26. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel. 27. Insidiatus est autem ei Baasa filius Abia de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon, quae est urbs Philistinorum: siquidem Nadab et omnis Israel obsidebant Gebbethon. 28. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, et regnavit pro eo. 29. Cumque regnasset, percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleteret eum juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu servi sui Abia Silonitis. 30. propter peccata Jeroboam, quae peccaverat, et quibus peccare fecerat Israel: et propter delictum, quod irritaverat Dominum Deum Israel. 31. Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quae operatus est, nonne haec scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 32. Fuitque bellum inter Asa, et Baasa regem Israel cunctis diebus eorum. 33. Anno tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Abia, regnavitque super omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis. 34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam, et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

1. Igitur in octavo decimo anno Jeroboam filii Nabat (regis Israel) regnavit Abiam (filius Jeroboam) super Judam.

2. Tribus annis regnavit. — Dices: Vers. 9, Abia dicitur mortuus anno vigesimo Jeroboam, ergo non tribus, sed duobus tantum annis regnavit: nam ab anno 18 ad 20, sunt tantum duo anni. Respondeo numerandum hic esse annum 18, cumque fuisset primum regni Abiam, secundum vero fuisse 19, tertium vero 20 regni Jeroboam. Ita Abulensis, Cajetanus, Sallianus et alii. Ubi nota in chronologia annum subinde a principio, subinde a fine computari: quocirca unus annus additus vel demptus in Chronologia nullam facit diversitatem. Porro Abulensis hic tres alios modos conciliandi diversam chronologiam assignat, valde utiles et notandos.

Primum, est per synecochon, qua pars anni, mensis, vel diei ponitur pro integro anno, mense, vel die. Sic Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulchro, quia per partem diei primae et tertiae fuit in sepulchro, solo autem die secundo integro in eodem mansit.

Secundus, quod aliquando numerentur anni, quibus filius regnavit cum patre, aliquando vero anni quibus solus ipse regnavit post patrem.

Tertius, quod quandoque interregnum jungitur annis sequentis regis vel judaeis, ut ostendi *Judic.* cap. III, quandoque non. Eisdem modis tradit Richardus de S. Victore, tractat. *De Concordia temporum regum Juda.*

Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom, — id est « Absalom, » ut dicitur II *Paralip.* XI, 21. Hebraice enim *Abisalom*, idem est quod *Abisalom*.

Quare vix dubitandum est, quin Absalom hic sit filius Davidis, de quo libro II crebra facta est mentio: nec enim alium legitimus Absalom. Ideo ergo Absalom hic nominatur, quia ipse ex gestis ejus recensitis libro II toti Israel fuit notissimus. Quare « Maacha » haec eadem est cum « Thamar: » hanc enim solam filiam genuit Absalom, ut patet II *Reg.* XIV, 27. Ita censent Hebraei, Josephus, Lyranus, Cajetanus, Sanchez et alii. Minus recte ergo Abulensis et Sallianus censent alium esse hunc Absalom ab Absalome filio Davidis.

Dices: II *Paralip.* XII, 2, haec « Maacha » vocatur « Michaiia filia Uriel de Gabaa. » Respondet Cajetanus, Absalom fuisse binomium, aliquo nomine vocatum esse « Uriel, » forte ob pulchritudinem, quod adeo esset pulcher, ut Angelus videretur, dicitque posset « Uriel, » id est « lux et splendor Dei. » Aut certe Absalom fuisse patrem naturalem Maachae; Urielem vero ejusdem fuisse patrem legalem: quod difficile est concipere, cum nullus Davidis filius legatur vocatus « Uriel, » sui quasi fratris sine liberis defuncto Absalom semine suscitare debuerit.

Posset planius dici Maacham dici « filiam, » id est « neptem » Absalomis, more Scripturae, quo nepotes vocantur « filii. » Videtur enim Thamar Absalomis unica filia nupsisse Urieli, ex eoque genuisse Maacham hanc Roboami uxorem, et Abia matrem. Id variis conjecturis confirmatur. Nam Uriel hic fuit de Gabaa, quae erat urbs in tribu Benjamin, fuit ergo ipse Benjaminita; ergo Uriel non est Absalom: hic enim erat de tribu Juda, sequae ac David.

Secundo, quia Thamar videtur fuisse hoc tam-

pore grandevior, quam ut nuberet Roboamo. Nata est enim facile 42 vel 43 annis ante mortem Davidis (nam pater ejus Absalom occisus est novem annis ante mortem Davidis, ut dixi in *Chron. Davidis*, sub finem lib. II *Reg.*). Adde annos 40 regni Salomonis, habebis 82 annos vite Thamar. Esto enim Roboam eam videatur duxisse ante mortem Salomonis; nam ex ea genuit Abiam, qui post triennium moriens regni successorem reliquit filium Asa. Roboam autem regnavit 17 annis duntaxat: quare Abia a Roboam ante initium regnum genitus videtur, ut eo moriente esset plusquam 17 annorum: nam post triennium moriens reliquit filium Asa jam grandevium, et habilem ad regnum. Esto, inquam, id ita sit; tamen non videtur diu ante mortem Salomonis eam duxisse, eo quod illam duxerit tertio loco, ut patet II *Paralip.* II, 31; filii enim regum ante regnum et ante mortem patris, non solebant multiplicare uxores.

Tertio, quia haec semper vocatur « Maacha, » nunquam Thamar, ergo non fuit ipsa Thamar, sed Thamaris filia.

Quarto, quia hic vers. 10, de Asa filio Abie dicitur quod hic de Abia, scilicet: « nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom. » Haec ergo Maacha vel fuit eadem cum Maacha matre Abie, ut dicitur « mater, » id est « avia » Ase; vel certe fuit ejus soror junior, ait Cajetanus, ut posset duci ab Asa filio Abie. Ergo Maacha non fuit Thamar, utpote quae nullam sororem habuit, sed fuit unica filia Absalomis: fuit ergo Maacha filia Thamaris.

Quinto, id disertè asserit Josephus, qui cum prius Maacham vocasset filiam Absalomis, mox lib. VIII, cap. III, eandem vocat Absalomis neptem, scilicet ex Uriele et Thamar progentam.

3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, — colendo idola Roboami, permittendo effeminatos, etc., hos cum idolis sustulit filius ejus Asa, ut sequitur.

4. Dedit ei Dominus Deus suus Lucernam (id est prolem gloriosam et regiam, scilicet) et suscitavit filium ejus post eum (ut Asa filius ei in regno succederet); et (per eum) statueret Jerusalem, — stabiliendo eam in fide et cultu veri Dei, itaque pariter stabiliendo ejus pacem, opes et regnum.

5. Excepto sermone (id est re et facto, puta homicidio) Uriel Hethel. — Dices: David multa alia peccata commisit, ut dum ex superbia numeravit populum, quod peccatum Deus punivit peste et morte 70 millium hominum, II *Reg.* XXIV, 13, dum voluit occidere Nabal omnesque ejus domesticos, I *Reg.* XXV, 21, dum Miphiboseth innocenti partem dimidiam facultatum ademittit, II *Reg.* XIX, 29. Verum hec peccata nec tam gravia fuerunt, quam fuit adulterium et homicidium Uriel, nec tam certa et a vulgo taxata: quin imo habebant velum et praetextum aliquem honestatis et justitiae, saltem apud homines, qui proinde ea vel

excusabant, vel non aestimabant. Hoc vero peccatum contra Uriam ab omnibus habitum fuit ut injustum, enorme et infame; ideoque Deus qui peccata tanta et tam scandalosa non sinit impunita, acriter illud punivit. Ob hoc enim omnia mala Davidi acciderunt, eique dictum est a Deo, quod nunquam recederet gladius a domo ipsius, idque ita accidisse reipsa hic ostendit, dum subdit, inter Roboam et Jeroboam aequae ac Abiam perpetua fuisse bella, caedes et spoliationes. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

6. Attamen bellum fuit inter Roboam et Jeroboam omni tempore vite ejus, — *q. d.* Deus ob merita Davidis voluit ei dari « lucernam, » id est posteritatem regiam, scilicet Salomonem, Roboam et Abiam; sed tamen ob eorum peccata, praesertim idololatricae, fecit ut perpetua haberent bella cum Jeroboam.

7. Fuitque praelium inter Abiam et inter Jeroboam. — Illud enarratur fuisse II *Paralip.* XIII, ubi dicitur Abiam in aciem eduxisse 400 millia, Jeroboam vero 800 millia, cumque hi utpote plures, illos cingerent, ipsos invocasse Deum, ac ejus ope ex 800 millibus cecidisse 300 millia.

10. Nomen matris ejus Maacha filia Abessalom, — id est Absalom filii Davidis. « Filia, » id est nephis, ut liquet. Haec enim Maacha mater Ase, vel est eadem cum Maacha matre Abie, ut vult Lyranus et Serarius, ut dicitur « mater, » id est avia Ase, sicut vers. 3, David dicitur Abia « pater, » id est avus; vel potius ejus soror junior, ex eadem matre Thamar Absalomis filia genita, ut ex Cajetano dixi vers. 2, aut certe ejus nephis. Maacha Hebraice idem est quod compressio, attritio, fixio, ait Pagninus. Videtur hoc nomen commune fuisse reginis sive filiabus regum Gessur: unde filia regis Gessur, quam duxit David, vocata est Maacha, quae fuit mater Absalomis, indeque Thamar filia Absalomis suam filiam, quae nupsit Roboamo, vocavit Maacha, ac ejus sororem, quae nupsit Abiae, vocavit quoque Maacha: haec enim tam Hebraei, quam Septuaginta, Noster et Josephus constanter vocant matrem Ase. Simili modo S. Paula, Melania, Macrina S. Basilii amita, Eudoxia, Constantia, suum nomen ad filias ac nepthes transmiserunt.

Porro nominatur hic Maacha « mater, » vel avia Ase, ut Ase insignis virtus et religio ostendatur, quod a tam impia matre educatus, tamen tam pius evaserit, adeoque ipsam matrem a sacerdotio idololorum amoverit. Sic Plinius, lib. VII *epist.*, laudat Quadratum juvenem, quod in deliciis aviae decessit, viveret tamen severissime.

13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, — *q. d.* NE ESSET PRINCEPS (sacerdotissa prima) IN SACRIS PRIAPL. — Hebraice ad verbum est, *ne esset domina, quia fecit idolum horrendum*: ubi Septuaginta, Chaldeus, Valabius, Pagninus et alii *ne esset domina, exponunt, ne esset regina, non regeret regnum.* Unde et Noster, II *Paralip.* XV, 16, vertit,

sed et Manacham matrem Asa regis de Augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in loco simulacrum Priapi. Hic tamen veritas, ne esset princeps in sacris Priapi; hic enim principatus sacrorum Priapi apud Indeos et idololatrias erat augustum imperium, et summa dignitas, ut *אשר אשר*, id est quia, quod, capitur pro *באשר באשר*, id est in eo quod fecit idolum, puta in cultura suo Priapi. Pro Priapi Hebraice est *מִפְּלֵטֶסֶט* *miphletset*, id est tremor, horror; sic vocatus Priapus, tum quia pingebatur vel sculpebatur turpi et horrenda forma; tum quia horrore suo terrore incutiebat furibus et avibus volentibus depraedari hortos, quorum ipse erat deus et tutor; unde illud Horatii, lib. I, satyra 8 De Priapo :

Deus inde ergo furum aviumque
Maxima formido.

Hinc et ab Hebreo *miphletset*. Priapus Latine dicitur est *Phallus* et *Mutinus* : sic enim eum appellat Juvenalis, *Satyra* 5, Virgilius et Ovidius. Ita Serarius, Vatablus et Sanchez. Fuit ergo Mancha obscena et sacrilega, imo obscenitatis et sacrilegii princeps, ac meretricum et scortorum regina, ideoque suo Priapo sacravit lucum; quia libido, utpote pudenda, querit lucos, id est sylvas umbrasas et tenebras, quibus suam turpitudinem tegat. Unde « lucus » dicitur per antiphrasin, eo quod luce careat, sitque opacus. Ita Eucherius.

Porro Hebraei coluerunt Priapum nomine Beelphegor, quasi deum obscenitatis, ritibus et acibus obscenissimis. Vide dicta *Numer.* xxv, 3. Fecit autem hac Asa initio regni, cum esset pene puer; eo major fuit ejus zelus et pietas. Quocirca Deus hunc Asa zelum remuneratus est : primo, pace felici et longa; secundo, edificatione multarum urbium; tertio, victoria illustri, qua decies centena millia Ethiopum prostravit, II *Paral.* xiv, 7.

14. EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT. — Abulensis per « excelsa » accipit templa a Salomone extructa idolis, que manserunt usque ad Josiam, qui ea everit; qua in re, inquit, non peccavit Asa, nec Josaphat, nec Ezechias, quia templa hec jam evincerant, erantque clausa, nec in eis colebantur

idola; quare cum jam non essent amplius scandalosa, permissa sunt ad fulam rei geste memoriam.

Melius Cajetanus « excelsa, » intelligit templa in montibus et locis excelsis Deo vero dicata, in quibus Israelite Deo vero sacrificabant, que licet a Deo essent vetita, prudenter tamen ea permisit Asa, ne populi delectatio et consuetudo immolandi in excelsis eum abduceret a cultu Dei ad idololatriam; zelosi tamen reges, quales fore Ezechias et Josias, eadem sustulerunt; quamquam dici posset Asa peccasse, quod excelsa permisit, sicut in pluribus aliis peccavit, ut jam dicam.

VERUNTAMEN COR ASA PERFECTUM ERAT CUM DOMINO CENTIS DIEBUS SUI. — « Perfectum, » intellige in fide et cultu unius veri Dei, ac in extirpatione idololatrie; nam in aliis nullis peccavit Asa, ut cum aegrotans non speravit in Domino, sed confisus est in arte medicorum, de quo mox. Item cum diffidens Deo vasa sacra dedit regi Syriae vers. 18, ad evadendum bellum regis Israel. Rursum, cum prophetam se increpantem conjecit in verum, id est in carcerem, et vincula, multosque e populo interfecit, II *Paral.* xvi, 10. Vide Abulensem, *Quest.* XVIII.

15. ET INTULIT EA QUE SANCTIFICABERAT (id est *Vers. 16* dicaverat, consecraverat) PATER SUUS, ET VOYERAT IN DOMUM DOMINI.

18. AURUM QUOD REMANSERAT IN THESAURIS DOMUS DOMINI (aurum templi) etc., MISIT AD BENADAD. — Peccavit hac in re Asa, tum quod aurum templi usurpari et alienari; tum quod magis in Benadad impio, quam in Deo spem reposerit, ideoque increpatus est a propheta, II *Paral.* xv, 1.

23. VERUNTAMEN IN TEMPORE SENECTUTIS SUAE DOLUIT PEDIS. — His hac fusiis narratur II *Paral.* xvi, 12 : « Aegrotavit, inquit, Asa anno trigésimo nono regni sui, dolore pedum (podagra) vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est; » ideoque mortuus : unde illico subiungitur : « Dormivitque cum patribus suis et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. »

ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum. 3. Ecce ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus : et faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat. 4. Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes : et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum vulvures cæli. 5. Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcumque fecit, et prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 6. Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa : et regnavit Ela filius ejus pro eo. 7. Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetae verbum Domini factum esset contra Baasa, et contra domum ejus, et contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam : ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani, prophetam. 8. Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. 9. Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux medie partis equitum : erat autem Ela in Thersa bibens, et temulentus, in dono Arsa præfecti Thersa. 10. Irruens ergo Zambri, percussit et occidit eum, anno vigesimo septimo Asa regis Juda, et regnavit pro eo. 11. Cumque regnasset, et sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, et propinquos et amicos ejus. 12. Delevitque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu propheta. 13. Propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israel provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 14. Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 15. Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa : porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philistinorum. 16. Cumque audisset rebellasse Zambri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiae super Israel in die illa in castris. 17. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, de Gebbethon, et obsidebant Thersa. 18. Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia, et mortuus est, 19. in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus, quod fecit peccare Israel. 20. Reliqua autem sermonum Zambri, et insidiarum ejus, et tyrannidis, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 21. Tunc divisus est populus Israel in duas partes : media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem : et media pars Amri. 22. Prævaluit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth : mortuusque est Thebni, et regnavit Amri. 23. Anno trigésimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israel, duodecim annis : in Thersa regnavit sex annis. 24. Emitque montem Samariae a Somer duobus talentis argenti : et edificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semei domini montis, Samariam. 25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, et operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum. 26. Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, et in peccatis ejus quibus peccare fecerat Israel : ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 27. Reliqua autem sermonum Amri et prælia ejus quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 28. Dormivitque Amri cum patribus suis, et sepultus est in Samaria : regnavitque Achab filius ejus pro eo. 29. Achab vero filius Amri regnavit super Israel anno trigésimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti et duobus annis. 30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum. 31. Nec sufficit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat : insuper duxit uxorem Jezebel filiam Ethibaal regis Sidoniorum. Et abiit, et servivit Baal, et adoravit eum. 32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod edificaverat in Samaria, 33. et plantavit lucum : et

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jehu filius Hanani propheta Baasa regi Israel minatur exitum, ideoque ab ejus filio Ela occiditur : hinc, vers. 9, Ela a Zambri regno et vita mulcatur. Mox, vers. 16, Zambri obsessus ab Amri se cum dono succendit. Inde, vers. 24, Amri rex creatus edificat Samariam. Denique, vers. 29, Amri morienti succedit iniprius Achab cum sua Jezebele. Additur, vers. ult., Et edificasse Jericho, ideoque filios omnes amississe.

1. Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Anani contra Baasa, dicens : 2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israel, tu autem

addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel, super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum. 34. In diebus ejus edificavit Hiel de Bethel, Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.

Vers. 2. 2. TU AUTEM AMBULASTI IN VIA JEROBOAM, — *q. d.* Tu secutus es ejus idololatriam, et coegisti populum adorandum vitulos aureos a Jerooboam in idola erectos.

Vers. 3. 3. ET FACIAM DOMUM TUAM SICUT DOMUM JEROBOAM, — *q. d.* Sicut per te funditus excidi familiam Jerooboam ob idololatriam vitulorum, sic ob eandem stirpitus evertam tuam progeniem per Zambri, tuo filio Elæ rebellantem vers. 9. Mira fuit perversitas et stoliditas regum Israel, quod, cum viderent jussu Dei plane everti familias regum præcedentium ob cultum vitulorum, imo ipsi easdem everterent, ipsi tamen eosdem vitulos colerent, et colendos proponerent populo, ne ad templum, et Asa regem Jerusalem rediret; esto reclamarent propheta, et excidium eis minarentur, nimirum diabolum et ambitio regnandi exercebat et dementabat eos. Hinc justo Dei judicio factum est, ut omnes sibi invicem fuerint carniifices: Baasa enim fuit carnifex filiorum Jerooboam, Zambri fuit carnifex filiorum Baasa, Zambri vero carnifex fuit Amri: sic apud Romanos Julius Cæsar sustulit Pompeium, Julium Brutus et Cassius, hos Augustus. Mox Nero cum ad necem adegit Senatum, Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, Titum Domitianus, Domitianum Nerva et Trajanus, uti narrat Sextus Aurelius Victor in *Epitome Cæsarium*: ecce hic verum illud Juvenalis:

Ad generum Cæteris (Platonem) sine cæde et sanguine
panci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Unde de Galba dixit Tacitus: « Omnium consensu capax imperii nisi imperasset. » De Vespasiano vero: Solus imperantium, inquit, mutatus in melius. » Sed hæc de re fusior erit sermo vers. 31 in Achab.

Vers. 5. 5. SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM ISRAEL, — puta in Diariis et Annalibus regum Israel, ut superius dixi.

Vers. 7. 7. OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM, — puta ob prophetiam, qua Elæ idololatriæ intentabat excidium. Fuit ergo Jehu hic vere propheta æque ac martyr, ac propheta cum martyrem effecti.

Vers. 9. 9. ET REBELLAUIT CONTRA EUM SERVUS SUUS ZAMBRIC. — Nota hic justa Dei judicia in reges infideles et idololatrias: quia enim Elæ rebellavit Deo summo Domino suo; hinc justia Dei vindictæ ei vicissim rebellavit servus et chiliarcha suus Zambri: sicut Elæ occidit Jehu prophetam Dei, sic et ipse occisus est a Zambri Dei nutu.

Vers. 18. 18. VIDENS AUTEM ZAMBRIC QUOD EXPUGNANDA ESSET CIVITAS, INGRESSUS EST PALATIUM, ET SUCCENDIT SE

CUM DONO REGIA. — Nimirum Zambri tyrannus ambiens aniam, invenit urnam, ac ascendens in regiam resiliit in pyram. Idem fecit Sardanapalus ultimus rex Assyriorum, qui in Ninive obsessus ab Arbaco militæ sue Præfecto, ne in ejus manus veniret, rogum in regia ingentem extruxit, quo aurum et argentum omne, et quicquid erat regni suppellectilis congestis. Tum concubinis et eunuchis in domunculam, quam in medio pyriæ extruxerat, conclusis, se regiamque cum illis omnibus absumpsit incendio. Ita Diodorus, Justinus, Strabo, et cæteri passim. Sic uxor Asdrubalis capta a Scipione incensaque Carthagine, dextra levæque tres filios mortem non recusantes trahens, incendio se flagrantis patriæ objecit, » ait Valerius Maximus, lib. II, cap. II. Sic Numantini per 14 annos a Romanis obsessi, cum fame deficerent, maluerunt se suaque omnia incendere, quam Scipioni se tradere. Vide Florum, lib. II.

22. MORTUUSQUE EST THEBNI, OCCISUS A FATIONE adversa Amri, teste Josepho. Addunt Septuaginta fratrem quoque Thebni occisum, nomine Joramum.

23. ANNO TRICESIMO PRIMO ASA REGIS JUDA REGNAVIT AMRI SUPER ISRAEL. Licet enim Amri occiso Zambri, a populo acclamatus sit rex anno 27 Ase, ut dictum est vers. 15 et 16, tamen regni æmulum habuit Thebni, cum quo collocatus est per quinque annos, donec eo mortuo solus regnavit, quod factum anno 31 Ase, ut hic dicitur. Ita Abulensis, Richardus de S. Victore, Tornielius, Salius et alii. Unde explicans subdit: SUPER ISRAEL REGNAVIT DUODECIM ANNIS: — cepit enim regnare mortuo Zambri anno 27 Ase, ut dictum est vers. 15 et 16; mortuus est autem anno 38 Ase, ut dicitur vers. 29, jam a 27 anno Ase usque ad 38 sunt 12 anni inclusive. Vide hic, ut Deus prolonget regna piorum regum, abbreviet vero impiorum. Ecce tibi Asa 41 annis regnavit in Juda, quibus annis octo reges successive regnarunt in Israel, scilicet Jerooboam, Nadab, Baasa, Elæ, Zambri, Thebni, Amri et Achab, quorum omnium ortus et occasus (excepto Achab) vidit Asa.

IN THERSA REGNAVIT SEX ANNIS. — « Thersa » ante Amri erat metropolis et regia regum Israel. Quare in ea regnavit Amri quinque annis, quibus cum Thebni de regno contendit, eo vero mortuo, anno sexto regni sui ex Thersa regiam transtulit in Samariam, quam edificavit, ut sequitur, ibique regnavit aliis sex annis, hoc est universum tam in Thersa quam in Samaria, 12 annis, ut dictum est. Causa translationis fuit, quod Zambri regiam in Thersa secum combussisset, moxque urbs capta ab Amri, spoliata et vastata fuisset, ut

dictum est vers. 18. Rursum, quod Samaria ob montem cui insidebat, munitior foret. Unde ipsa diu hostium postea eam obsidentium insultus sustinuit. Ita Salius. His ergo de causis Amri ex Thersa regnum et regiam transtulit in Samariam.

Vers. 24. 24. EMITQUE MONTEM SAMARIE A SOMER (nomen est viri, qui erat dominus montis) DUOBUS TALENTIS ARGENTI. — Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum, sive mille quingentas uncias (siclus enim est semuncia) que faciunt 12 millia drachmarum. Drachma argenti est Julius Romanus, sive regalis Hispanicus, quare talentum argenti continebat tria millia florenorum Brabantiorum, sive Francorum Gallicorum, que faciunt aureos Romanos mille ducentos: ergo duo talenta argenti faciunt 6 millia florenorum Brabantiorum, que conficiunt bis mille et quadringentos aureos.

ET VOCAVIT NOMEN CIVITATIS, QUAM EXTRUXERAT, NOMINE SEMER (vel SOMER) DOMINI MONTIS, SAMARIAM. — Putant aliqui prius Samariam fuisse adificatam, nam nominis Samariæ mentio facta est cap. XII, vers. 32, sed hic urbi veteri ab Amri adjunctum fuisse montem vicinum, et civitatem eousque extensam, ac totam deinde vocatam Samariam. Ita Sanchez. Alii vero putant urbem totam primitus edificatam ab Amri, ac nominatam Samariam: quare cap. XII per anticipationem vocari Samariam, eo quod postea cum Asa regni libri hæc scriberet vocata sit Samaria. Hæc est celebris illa metropolis regum Israel, contra quam detonat Isaias cæterique propheta.

Vers. 31. 31. ET AMIT ET SERVIVIT BAAL. — « Baal, » sive « Bal, Bel, et Belus, » est Jupiter Belus, puta « Nemrod. » Nemrod enim est Belus, qui fuit pater Nini primi regis Assyriorum, a quo condita et appellata fuit « Ninive, » cujus uxor fuit Semiramis. Nemrod ergo dictus est « Baal, » id est dominus, fuitque auctor idololatriæ sub annum trecentesimum a diluvio, ut dixi *Genes.* X, 9. Unde ab eo cæteri dicebantur gentium dii et idola dicta, vel agnominata sunt « Baal » vel « Baalim. » Unde Abulensis in lib. IV *Reg.* cap. III, *Quest.* III, censet Baal hunc Sidoniorum et Tyriorum fuisse Herulem, hic enim apud eos magno in honore fuit. Unde Ilium rex Tyri tempore Salomonis eidem statuam erexit teste Josepho, lib. VIII, cap. II. hinc in Tyro quinquecentales ludi Herculi celebrabantur, ut patet II *Machab.* IV, 18, ergo idolis et vitulis Jerooboam adjunxit idolum Baal sive Jovis Belii, quod more gentis suæ Sidoniæ colebat Jebabel ejus uxor.

Tropologicè, hinc discè quam Deo invida, ideoque infelix sit impietas, nimirum quod continua et funestissima sit tragedia impiorum principum vita: pateat ex dictis cap. XII, XV, XVI, et lib. IV, cap. IX, X, XI, XV, hæc tragica accipe.

Postquam occupavit regnum Israel Jerooboam propter delictum Salomonis, vindictam per eum in persona Roboam filii ejus, translatis decem

tribubus in Jerooboam, regnavit et filius ejus in Israel. Vindicta in persona filii successit, et ipse cum omni semine et domo Nabat erasus fuit per regem novum Baasa. Baasa tyranni finita potestas in filio Elæ, qui necatus est cum omni semine per Zambri ejus servum. Zambri tantum per septem dies regnavit, et obsessus ab Amri, coactus se in palatio comburere sustulit regiam progeniem. Amri et Achab stirpem sustulit Jehu, servus Joram regis, qui erat ex progenie Achab. Advenit autem in quarta generatione vindicta super progeniem Jehu, juxta verbum Domini, et ideo Zacharias, qui ex Jehu descenderat, obtruncatus est a servo suo, nomine Sellum, qui tantum regnavit pro eo in Israel per unum mensem, occisus pariter a Manahem filio Gadi in Thersa, qui regnavit pro eo decem annis in Israel, et post eum Phaceia filius ejus biennio tantum: nam eum occidit Phaceas filius Romeliæ dux ejus; sed et hunc occidit Oseas filius Elæ, hic autem translatus cum populo in Assyrios. Sic Salius, ait Amiliius, lib. VI, domito Oriente tandem mortuus, et omnes ejus filii a patruo eorum necati; uno evadente tantum e manibus Sephadmi patris. Velut est dictum, tyrannos principes quam rarissime senescere, propter varia pericula quibus involvuntur, et quam ægerime communem livoris et periculi sortem possunt evadere, et paucissimi omnino fuerunt qui suo fato seu morte naturali perierunt. Quare et Saturninus quid Flavius Vespasianus cum a suis purpura esset indolus: « Necis, inquit, amici, quid mali sit imperare. Nam et gladii tela cervicibus nostris impendunt, imminet haste, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non eibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde, quod omnis ætas in imperio reprehenditur: senex est quispiam, inhabilis videtur: si juvenis, inest furor. Nam quod imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis: sed habeo solatium hoc: mortis, solus perire non potero. » Subit mentem quod Elianus lepide refert de tyrannicæ æscopi scriptis: si quis suum comprehendat, eam vociferari, idque non temere. Etenim cum ne lanam portet, neque quidquam aliud ejus generis, statim conjectura mortem angurari, scientem seipsam usui et esui esse capientibus. Similes autem videri sublus tyrannos; qui semper in suspicionibus et metu versantur, cum sciant sicut suos, suam vitam solam omnibus debere. Ita Elianus, lib. IX *Var. Histor.*

34. IN DIEBUS EJUS EDIFICAVIT HIEL DE BETHEL, JERICHO: IN ABIRAM PRIMITIVO SUO FUNDAVIT EAM, ET IN SEGUB NOVISSIMO SUO POSUIT PORTAS EJUS: JUXTA VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS FUERAT IN MANU JOSUE. — Josue everrens Jericho statuit eam anathe-ma, ac maledixit ei qui illam reedificare vellet, dicens cap. VI, vers. 26: « Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et edificaverit urbem

Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciât, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. » Quare nemo usque ad tempora Achab ausus fuit reedificare Jericho, tunc autem id ausus fuit Hiel illeotus fertilitate loci. Jericho enim erat fecundissima et amenissima, adeoque sola proferebat balsamum. Addit hoc Scriptura, ut indicet quanta fuerit sub Achab scelerato idololatra Dei et prophetarum oblivio, ac quam corrupti mores avaritia: hæc enim stimulavit Hiel ad reedificandum Jericho contra jussu Josue. Rursum ut ejus punitione terreret Achab et idololatrias. Si enim Hiel ob reedificatam Jericho contra jussu Josue, mulctatus est filius omnibus, multo magis filius omnibus se mulctandum a Deo cogitare debebat Achab, qui in Dei injuriam Baalem suum pro Deo coli volebat.

IN ABIRAM PRIMOGENITO SUO FUNDAVIT EAM, ET IN SEGUB NOVISSIMO SUO POSUIT PORTAS EJUS. — *q. d.* Hiel jaciens fundamenta Jericho, statim perdidit filium suum primogenitum, nomine « Abiram: » deinde pergens illam ædificare, ex ordine perdidit ceteros usque ad ultimum « Segub, » quem amisit dum portas urbis locaret. Quantum ergo crecebat Jericho, tantum decrescebat familia Hiel, adeoque ipsa perfecta, plane hæc extincta

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias inducit Israeli siccitatem et sterilitatem. Unde jussu Dei in torrente Carith se abscondit, pascurturque a corvis. Moa, vers. 10, in Sarephtha, vidua farinam in hydrya, et oleum in lecytho multiplicat. Denique, vers. 17, filium ejus mortuum, expandens se super eum, ad vitam revocat.

1. Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. 2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: 3. Recede hinc, et vade contra Orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, 4. et ibi de torrente bibes: corvisque præcepi ut pascant te ibi. 5. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in torrente Carith qui est contra Jordanem. 6. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vespere, et bibeat de torrente. 7. Post dies autem siccitas est torrens: non enim pluerat super terram. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum dicens: 9. Surge, et vade in Sarephtha Sidoniorum, et manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te. 10. Surrexit, et abiit in Sarephtha. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligans ligna, et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aque in vase, ut bibam. 11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. 12. Quare respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydrya, et paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. 13. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farina subiciere panem parvulum, et affer ad me: tibi autem

est, mira pertinacia, ait Rupertus, fulcrite conditoris nomen, ut totum quod cum effectu perderet genitoris honorem. Ubi mira apparet Hielis cæcitas, avaritia et ambitio, qui cum videret in se impleri minas Josue, ac sensim filios suos omnes emori, ab ædificatione tamen urbis non destitit, malens eam perficere cum amissione omnium filiorum, quam illa omnia filios in vita retinere; forte etiam hoc fecit ut placeret impio Achab, eique ostenderet se, æque ac ipsum, esse Dei et prophetarum ejus contemptorem.

Tropologice Eucherius: « Ille, inquit, qui postquam in Ecclesia habitum religionis assumpsit, ad agenda scelera que ei Dominus Jesus in die baptismatis condonaverat, redit, quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit: cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas, veritati Ecclesiasticæ, quia imbutus est, quasi de Bethel egrediens ruinas Jericho resuscitat. Meritoque talis coram Domino maledictus, et primum filiorum in fundatione nefarie civitatis, et novissimum in portarum positione amittit, quia et fundamenta fidei, a quibus bona ædificia inchoare, et claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat, perdit. » Eadem ad verbum habet Angelomus.

et filio tuo facies postea. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: hydrya farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. 15. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ: et comedit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die, 16. hydrya farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum est autem post hæc, egroavit filius mulieris matris familias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo habitus. 18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? 19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. 20. Et clamavit ad Dominum, et dixit: Domine Deus meus, etiam viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus? 21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait: Domine Deus meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. 22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: et reversa est anima pueri intra eum, et revixit. 23. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus. 24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

vers. 1. 4. ET DIXIT ELIAS THESBITES DE HABITATORIBUS

GALAAD AD ACHAB. — *Quæres primo, cur Deus suscitavit Eliam, cumque miserit ad Achab? Respondeo, ut ejus æque ac Jezabelis ardorem in propaganda idololatria reprimere et resingueret, ac Israel in vera uniti Dei fide et religione conservaret, ideoque cum armavit zelo et spiritu fortitudinis admirabili, ut solus ipse se opponeret tyranni, sacerdotibus et idololatriis omnibus. Sic Pharaonem opprimente fideles Hebræos, Deus suscitavit Moysen, qui se illi opponeret, et populum ex ejus servitute educeret. Sic Jeroboam vitulos pro diis erigenti opposuit Abiam prophetam, Manassi Israhel, Antiocho Mæch hebræos. Sic toti orbi penè Ariano unum opposuit Athanasium fidei Orthodoxæ atlantem, Pelagianis S. Augustinum, Nestorianis S. Cyrillum, Iconomachis S. Joannem Damascenum, Albigenisibus S. Dominicum, Lutheranis et Calvinistis S. Ignatium et similes. Fuit ergo Elias (quod S. Bernardus scribit Eugenio Pontifici in fine lib. IV *De Consider.*) « forma justitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, assertor veritatis, fidei defensor, doctor Israelis, magister insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatus, iudex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, sal terræ, orbis lumen, propheta Altissimi, præcursor Christi, Christus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen. »*

Quæres secundo, quid significet Eliam? Respondeo, Eliam Hebræice dicitur אֵלִיָּהוּ Eliahu, id est Deus Domini, vel potius Deus meus Dominus, ait Pagninus. Aut, q. d. Eli tu hu, id est potens est Deus ipse. Et enim est nomen Dei, quia fortis est et potens ad omnia debellandum: tu est abbrevia-

tum Jehova; hu est ipse. Eliæ enim officium fuit ostendere Achab et Israeli non Baal, sed Deum Israelis esse verum Deum, fortem, et omnipotentem omnium Dominum. Ita S. Hieronymus, Angelomus et alii. Unde Hebræi censent Eliam nomen sumptum ex illa populi ad Eliam acclamatione: « Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus, » cap. xviii, vers. 39, nam antea eum vocatum fuisse *Tahersyrb*, tradunt idem in *Genesi magna*, cap. xviii. Hinc S. Hieronymus, *Micheam* cap. v: « Elias, inquit, idem est quod Dominus Deus. » Audi S. Isidorum, lib. VII *Orig.* cap. viii: « Elias interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præsentis sic vocatur. Nam dum altiorum in sacerdotio eum quadringentis sacerdotibus Baal, invocato nomine Domini, descendit ignis de celo super holocaustum. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam et ait: Dominus ipse est Deus. Ex hac ergo causa tale prius nomen accepit, pro eo quod per eum postea cognoverit populus Dominum Deum: idem et fortis Dominus interpretatur, vel propterea quod interfecit eosdem sacerdotes, vel propterea quod Achab adversitatem toleravit. »

Rursum, « Elias » idem est quod « fortis Dominus, » ait S. Hieronymus, vel « Deus Domini, » ait Pagninus, quia sicut Moyses a Domino constitutus est Deus Pharaonis, *Exodi* vii, 1; sic ab eodem Elias constitutus est Deus Achab et Jezabelis: sicut enim Moyses decem plagas contempsit et terrestres infligens Pharaoni, coegit eum dimittere Hebræos: sic et Elias omnia elementa commovit per stupendam miracula, quasi eorum esset Deus et Dominus, quibus Achab et Baalitis perculit, imo occidit.

Aliam eausm tropologice dat S. Ambrosius, *Tropolog.* lib. I *De Cain* cap. ii, ubi Eliam hisce elogiis ca-

nat: » Victor passionum, inquit, nec ullis captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem celestis puritate conversationis obdlexerat, mentem regens, carnem subiciens et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinem se perfecte virtutis ubertate formaverat, et ideo non legitimus de eo sicut de ceteris, quia deficientis mortuus est. » Deo enim persimilis est, qui ab omni vitio purus et sanctus est. Audi S. Dionysium, epist. ult. ad S. Joannem Evangelistam, Quest. X: « Quicumque viri studiosi sunt, ab omni quidem rerum corporearum voluptate abducuntur; liberi autem ab omnibus malis, Deique amore impulsī, omnium honorum pacem diligunt et sanctorum; atque ab hac vita principium future faciunt, cum inter homines Angelorum vitam imitentur cum omni animi tranquillitate, Dei nominis appellatione digni, cum benignitate ceterisque virtutibus, » etc. Rursum, Elias compellit fortitudo Dei, quam depingens Isaias, cap. xxv, vers. 4, ait: « Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab aestu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut aestus in sili tumultum alienorum humiliabilis, et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. » Simili enim fortitudine Elias deiecit Achab, Jezabelem et Baalistas, juxta illud *Eclē. xlviii, 2*: « Irritantes illum (Eliam) invidia sua, pauci facti sunt; non enim poterant sustinere precepta Domini. » Et paulo post: « Qui deiecit reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo. »

Porro Beda et Angelomus in lib. IV Reg. cap. xxiii, quin et S. Chrysostomus, hom. 3 De *Eliā*, asserunt *Eliam* dici quasi *Deū*, id est solem, eo quod ipse fuerit sol Israelis et curru igneo vectus sit in cœlum, indeque a poetis fingi solem vehi curru igneo, quem quia Phaethon solis filius regere nescivit, hinc se et orbem combussit, de quo plura, lib. IV, cap. ii. Hæc per allusionem dicuntur: constat enim *Elias* esse nomen Hebræum, non Græcum. Simili modo Nazianzenus Hebraicum nomen *pascha* derivat a Græco *πάσχα*, id est pascior, quod in paschate passus sit Christus.

Quæres tertio, que fuerint extimie virtutes et dotes *Eliæ*, quibus debellavit idololatriam? Respondet, primo ejus dos fuit vite innocentia, austeritas et sanctitas. Audi S. Isidorum, lib. *De Ortu et interitu prophetæ*, cap. xxxv: « *Elias*, inquit, sacerdos magnus atque propheta, habitator solitudinis, fide plenus, devotione summus, in laboribus fortis, industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione disciplinæ rectus, in sancta meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus. »

Secunda. *Secunda* *Eliæ* dos fuit solitudo et contemplatio. Secedens enim in Carmelum vacabat orationi et contemplationi, ibique Eliseum et alios discipu-

los collegit quasi auctor vite monasticæ et eremiticæ. Unde Carmelite suum nomen et insiditum ab *Eliā* in monte Carmelo accepisse profitentur, de quo plura cap. xviii.

Tertia fuit ejus dicendi et arguendi libertas, Tertia qua inter cetera ait Achab regi et Jezabeli in faciem, quod venudati sunt sub peccato, et quod Deus omnem eorum stirpem excidat, quodque canes lingent sanguinem Jezabelis, cap. xxi, 20.

Quarta, invicta animi patientia et fortitudo, Quarta qua omnes regum et idololatrarum persecutiones generose sustinuit et superavit, imo omnes sacerdotes Baal occidit, cap. xviii.

Quinta, zelus honoris et cultus divini, qui eum ad omnia certamina cum rege et Baalitis inennda compulsi, unde ipse ad Deum ait: « Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercitum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, etc., prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam, » cap. xii, vers. 14. Hinc *Elias* a nonnullis vocatur Angelus: ac de Joanne Baptista ait Angelus, quod præcedit Christum « in spiritu et virtute *Eliæ*, » *Luce* i. Hinc raptus est *Elias*, ut præcurat Christum ad judicium, certetque contra Antichristum, a quo proinde occidetur, et martyrio laureabitur Jerosolyme; sed tertia die eorum toto populo gloriose a morte resurget et descendet in cœlum, ut dixi *Apoc.* ii, 3. Denique vide elogia *Eliæ* apud *Eclē. cap. xviii, 1*: « Surrexit, inquit, *Elias* quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat. » Vide ibi dicta. Fuit enim *Elias* totus igneus et fulmineus.

Hinc allegorice *Elias* fuit typus Christi, qui vere fuit « *Elias*, » id est « Dominus Deus. » Christus, enim, instar *Eliæ* magna certamina habuit de fide Messie cum Scribis et Phariseis, ac continuas ab eis persecutiones sustinuit, tandemque mortem crucis, sed ab ea die tertia gloriosus resurrexit, et die 40 in cœlum ascendit. Ita Angelomus, Eucherius, Rupertus et alii.

Denique *Elias* fuit dux et princeps Prophetarum cœlorum: atque hæc de causa una cum Moysè legislatore apparuit in transfiguratione Christi, eique nomine omnium prophetarum testimonium perhibuit, quod ipse verus esset Messias ab eis prophetatus, *Matth. xvii*.

Thesbitus, — oriundus ex Thesba vel Thesbe vico, sito in tribu Gad inter Jaaba et Saron, ait Adrichomius in *Descript. terre Sanctæ*. Hinc S. Epiphanius, Dorotheus, Isidorus, Metaphrastes et alii in Vita *Eliæ* docent Eliam natum in Thesbe, que Arabiae est contentina. Audi S. Epiphanius: « *Elias* ex Thesbis erat e continente Arabia; morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant sedes sacerdotibus consecrate ac destinatae. » Sed clarior Metaphrastes: « *Elias*, inquit, a sacerdotibus (Hierosolymitanis scilicet, ad quos de visione consulendos Sobachus parens profectus est) appellatus est Thesbite, eo quod esset domus, que sorte obtigerat sacerdotibus in qua is habitabat,

Elias dicitur, id est, sol.

Elias dicitur, id est, sol.

Prima.

Secunda.

virtutem exercens ab adolescentia, et flammæam efficiens animam per ignem spirantem Spiritus Sancti gratiam. »

Fallunt ergo Abulensis, Hugo, Lyranus, qui censent Eliam oriundum ex urbe Thesbe, in qua occubuit Abimelech Gedoonis filius, *Judic. ix, 50*. Thesbe enim erat in tribu Ephraim juxta Sichem, Thesbe vero patria *Eliæ* erat trans Jordanem in Galaadite, puta in tribu Gad. Quare *Elias* videtur fuisse Gaddita, indeque nascendo viriles, fortes et militares hausisse spiritus. Tales enim erant Gaddite juxta illud *Genesis xlix, 19*: « Gad acclivus (hoc enim Hebraice significat Gad) præliabitur ante eum, et ipse accegetur retrorsum. »

Porro, Thesbitus Hebraice idem est quod captivus, vel convertens, ait Angelomus et alii. *Elias* enim captivavit et convertit corporum in filios, et cor filiorum ad patres eorum, » ut ait *Malach. cap. iv, vers. 6*. De nativitate et educatione *Eliæ* hæc habet Dorotheus in ejus Vita: « Cum nascenturus esset *Elias*, pater ejus Sabacha vidit illum ab angelis albicanibus salutarī, et igne tanquam fasciis involvi, et flamma ignis veluti cibo alii, et Hierosolymam profectus, rem istam indicavit, dictumque illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim ut puer nascenturus in luce habitaret, et quem diceret, firmam sententiam haberent, judicaretque Israelæ in gladio et igne. » Eadem habet S. Epiphanius et Metaphrastes in Vita *Eliæ*. Hinc Eliam perpetuam coluisse virginitatem consentiunt Patres, scilicet S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.* et ad Eustochium, *De Custod. Virgin.*, Ambrosius, lib. I *De Virgin.* Idem asserit S. Chrysostomus, lib. *De Virgin.* tomo V, S. Ephrem non uno loco: pulchre *Paran. I*, tomo II, fol. 90, ait: « Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cœlum cum *Eliā* vehens; » et fol. 91: « *Elias* te sua pelle caprina cooperiens in cœlos introducet. »

Virgines quoque vel caebes fuisse Eliseum ceterosque *Eliæ* discipulos, non est dubium: quin et ex ipsis plura per veram Dei religionem a Jezabele occisis martyrii lauream adeptos esse, satis liquet ex cap. xviii, vers. 13.

Porro, *Elias* non videtur fuisse sacerdos, ait Abulensis, Sanchez et alii, quia non oriundus ex Levi, sex ex Gad: unde et Scriptura nusquam eum vocat sacerdotem, uti vocat Jeremiam et Zachariam patrem Joannis Baptiste. S. Epiphanius tamen, S. Isidorus et alii eum vocant sacerdotem, ortumque ex Levi, quia Levitæ et sacerdotes, cum propriam non haberent possessionem, spargebantur per omnes tribus, ut eas in fide et Dei cultu erudiret. Poterat ergo in tribu Gad nasci *Elias* Levita.

Denique Hebræi censent Eliam esse Phinees, filium Eleazari filii Aaron, sed errant, ut ostendi *Numer. xxx*.

DE HABITATORIBUS GALAAD. — Migravit *Elias* a patria sua Thesbe in viciniam Galaaditum. Cur?

Respondet primo, quia Galaadite tunc valde corruptis erant moribus, idololatræ et homicidæ. Ivi ergo ad eos *Elias*, ut ipsos per se et suos discipulos ad meliorem frugem revocaret. Id liquet ex Osæ propheta, qui sub Ozia rege paulo post Eliam prophetavit, ac cap. vi, vers. 8, sic ait: « Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium peregrinos de Sichem. » Vide ibi dicta.

Rursum, Galaad erat ferax resinæ, opobalsami et aliorum aromatum, ex quibus conficiuntur emplastra et medicinæ ad curandos morbos et vulnera. Hinc representat Prophetas, qui quasi medici spiritales animarum vulnera et ægritudines curant. Hoc est, quod ait Jeremias, cap. viii, vers. 22: « Numquid resinæ non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filie populi mei? » Unde ibi Chaldaei Paraphrastes vertit, *Desiderabam doctrinam Eliæ prophete, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina*. *Elias* ergo et Eliseum, uti in Carmelo, Bethel, Jericho, Galgalis, sic et in Galaad commorati sunt, ut incolas ad verum Dei cultum traderent, ut « ubi superabundavit delictum, superabundaret gratia, » *Rom. cap. v, 20*, ideoque hisce in locis Collegia discipulorum, qui proinde « filii prophetarum » vocantur, instituit: unde ad eos spectat illud *Cantic. iv, 1*: « Capilli tui sicut greges caprarum, que ascenderunt de monte Galaad. » Hæc de causa *Elias* rapidius in cœlum, Collegia hæc in Bethel, Jericho, Galgalis, etc., obiit *IV Reg. xxii*, ut suis discipulis valediceret, eosque in aspero vite eremiticæ et cenobiticæ studio prosequendo confirmaret. Ita Abulensis.

VIVIT DOMINUS DEUS ISRAEL; IN CUJUS CONSECTV STO, SI ERIT ANNIS HIS RES ET PLUVIA, NISI JUXTA ORIS MEI VERBA. — Non dubium est Eliam zelo aestuantem prius Achab regem monuisse de abdicando cultu Baal, et colendo Deo vero: sed cum ille surdas adhiberet aures, *Elias* a verbis ad verbera venit, ac totam terram percussit sterilitate, ut Achab et idololatræ discerent non Baal, uti ipsi putabant, sed Deum verum dare pluviam, messem cæteraque terræ bona, ideoque ad hæc obtinenda eum invocarent, non Baal? ait ergo: « Vivit Dominus, » id est fero per vitam Dei, quod non erit pluvia si jurandus terram, nisi juxta meum beneplacitum, quando scilicet ego precibus meis cœlum ad pluvendum aperiam, sicut nunc illud precibus meis clausi: Eliam enim precibus hæc omnia a Deo impetrasse docet Jacobus in *epist. cap. v, vers. 17*: « *Elias*, inquit, homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. »

IN CUJUS CONSECTV STO. — Septuaginta, cui assenti coram eo; Chaldaei, ante quem ministro, g. d. Ego semper mente Deum habeo præsentem, conorq=

illum amare, laudare, revereri, eique per omnia placere, ideoque illum invocavi et invoco, ut mihi hanc potestatem sistendi laxandique pluvias, ad evadendum cultum Baal, concedat, uti de facto concessit. Nec enim Elias juraret ita fore, nisi Deus ei id concessisset, eumque fecisset quasi Dominum aeris. Unde exclamatur Eucherius: « Magna vis prophetica dignitatis, humanus sermo est, divinus effectus. In terris homo loquitur, et imperio ejus caelestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturam unus sermo prophetae, et aëro modo humi sonans aëra caelumque concussit, turbatus est humani ministerii ordo, et a saeculis instituta elementorum harmonia contabuit, cum siccio humidum, calido frigidum negaretur: sed clementia penam suam leta suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honore proficiat conditoris. »

SI ERIT ANNUS HIS ROS ET PLUVIA. — Hebraice si idem est quod non. Causam dat Auctor *De Mirabil. Script.* lib. II, cap. xv: « Quatenus, inquit, qui Deum per mala in terra exacerbasset, oculi clementia et aeris commoditate carerent. »

Nisi Juxta ORIS MEI VERBA, — ut nulla futura sit pluvia, nisi quando ego verbis et precibus meis illam adduxero. Concionatorie S. Chrysostomus, hom. 1 *De Elia*, ait eum ex rigido zelo vindicandi idololatram, noluisse Deo (utpote quem misericordem, facile precibus flectendum ad dandum veniam et pluviam sciebat) relinquere, sed sibi reservari: utpote qui jam mentem obfirmarat de non danda idololatrie venia, nec pluvia. Quare ipsum tandem precibus Deum fatigasse, donec id ei concederet, quo obtento constanter et severe edixisse: Iuro per Deum, quod non pluet nisi quando ego voluero: non volam autem nisi sacerdotibus Baalitis occisis, et cultu Baal subverso, ut patet cap. xviii, vers. 41. Haec S. Chrysostomus qui *homil. 2*, graphice haec depingens ait: « Cum Elias propheta sanctissimus populum praevericatum aspiceret, omneque Baal et lucos despecto Domino colli a sacrilegis pervideret; cumque creatore despecto firmamentis sese memoribusque omnis populus addixisset; zelo Dei commotus Judaeam terram siccitatis sententia, et pluviarum sterilitate addixit. Tunc subito anhelat terra, siccatur caelum, siccant omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, arce foveae, serenitas torquet, tranquillitas poena est, aestuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbuta aegrotant, etc., iram Dei universa creatura testatur. »

3. ASCENDERE IN TORRENTE CARITH. — Querit enim te, quasi sterilitatis auctorem rex Achab, et si invenerit, occidet. Fuge ergo et late, ne in tuum caput siccitatis causa revolvatur. Torrens Carith descendit de montibus Ephraim juxta urbem Phalesum, unde juxta eum multae erant cavernae speluncae, in quas se abdere poterat Elias. Ite ergo latuit per triennium siccitatis, pastus a

corvis. Unde in ejus memoriam S. Helena ibidem ecclesiam construxit, teste Nicephoro, lib. VIII, cap. xxx. *Carith*. Hebraice idem est quod *exsiccio*, suscisio, quia hic Elias terre germina et sata per ariditatem a se inducunt succidit. Unde S. Chrysostomus, *homil. De Petro et Elia*, ait Eliam ignem ardorem et quasi febrem terre induxisse: « Vix dum, ait, exierat sermo ejus, cum subito mutatur aer, caelum aëreum factum, idemque sermo in terrae viscera tanquam febris in tubum. Et vestigio exaruerunt omnia, omnia: silitudine ac vastitate horruerunt, herbae siccatae sunt, plantae simul et arbores tum frangere, tum steriles. »

Meminat hujus sterilitatis et famis Menander historicus Genetis, apud Josephum, lib. VIII, cap. vii, sed inutile et imperfecte, more Gentilium eum de rebus judaicis loquitur. Ait enim famem hanc durasse uno tantum anno, cum S. Jacobus, cap. v, 17, asserat eam durasse tres annos et sex menses. Videtur haec famis tantum fuisse in Israele, ejus enim idololatriam Elias puniebat. Quare quod *Luce* iv, 25, dicitur eam fuisse « in omni terra, » accommodata accipit, scilicet in omni terra Achab regi subiecta, et peccatis idololatrie ejus contaminata.

4. CORVISQUE PRÆCEPI, — id est instar præcipientis ordinari, et instinctum hunc eis indidit, ut tibi afferant panem. Ita Cajetanus.

6. CORVI QUOQUE DEFEREBANT PANEM ET CARNES MANE, SIMILITER PANEM ET CARNES VESPERE. — Corvus est avis vorax, inhumana, maligna; illa ergo usus est Deus ad cibandum Eliam, ut ostenderet se omnibus animalibus imperare, eorumque indolem mutare et convertere eo quo lubet, ac sanctis, qualis erat Elias, omnes creaturas Deo jubente servire et obsequi. Sic corvi offerbant quotidie dimidium panem ad S. Paulum primum eremitam, integrum vero adventum S. Antonio. Unde ad eum conversus S. Paulus ait: « Eia Dominus nobis prandium misit vere pius, vere misericors. Sexaginta anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam. » Ita S. Hieronymus in *Vita S. Pauli*. S. Benedictus vero, corvo qui hora prandii ad se venire et cibum e manu sua sumere solebat, jussit panem veneno infectum a Florentio invidio sibi submissus tollere, et in locum, ubi a nemine venire posset, asportare: cui obediens corvus id ipsum praestitit, ut refert S. Gregorius, libro II *Dial.* cap. viii, hujus corvi progenies etiamnum superest, ac a Benedictinis continuo alitur in monte Cassino.

Porro quod corvis potius quam aliis avibus Deus usus sit, causa litteralis fuit, quod corvi ament loca solitaria, ac praesertim torrentes, eo quod siccissimae et calidissime sint naturae. Unde *Prop. xxx*, 17, dicitur: « Oculum qui subsannat patrem, etc., effodiant enim corvi de torrente. »

Corvis ergo, quasi maxime obvis avibus, usus

fuit ad alendum Eliam in torrente Carith, ut ex corvo cibum, ex torrente potum in tanta omolium siccitate caperet. Aqua enim ad potum sufficit, estque potus maxime naturalis, quo ante Noe omnes prisci usi sunt.

Tropologie vide hic, et reverere miram Dei in suos fideles providentiam: corvi enim Deo instigante quotidie bis apportabant panem et carnes Eliæ, scilicet mane ad prandendum, et vespere ad cenandum. Angeli autem hos panes et carnes apparabant, ideoque meliores et sapidiores erant nostris, qui a pistoribus et cocis apparantur, juxta illud *Psal. lxxvii*, 25: « Panem Angelorum manducavit homo: » mox eosdem corvis ad Eliam deferendos dabat, eosque continebant ne illos attingerent, ac impellebant ut ad Eliam intactos deferrent. Nam ut in *Vita S. Onuphrii* legitur, Deus et Angeli singularum habent curam eremitarum, qualis erat Elias, eo quod ipsi omnia deseruerint, et ab omnibus sint deserti, juxta illud: « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjuvator, » *Psal. ix*, vers. 14. Quocirca S. Basilus, hom. 8 in *Dives avarus*, « Carmelus, ait, mons sublimis ac desertus Eliam habuit, cui victium cibisque fuit spes in Deo; et cum illa viveret, fame tamen extinctus non est, sed avium rapacissimi corvi cibum ei attulere, et qui alienas solebant escas invadere, viro iustissimo ministri fuere: naturæ quoque oblitus, in pane carneque et afferendis Dominicæ præcepto paraverunt. »

ET CARNES. — Deus ergo non tantum panes ad vitam necessarios, sed etiam carnes ad lautitiam pro obsonio Eliæ submittebat. Quærit Abulensis quid comederit Elias diebus jejuniorum, quibus non licet vesci carnibus; ac respondet eum comedisse quicquid corvi afferbant: Deus enim mittendo carnes ad Eliam, hoc ipso eum eo in jejuniis dispensabat, volebatque ut eas comederet, ac dono suo tam liberali fruere, ne frustra eas misisse videretur.

Allegorice S. Prosper, lib. II *De Prædict. et præmiss.* cap. xxviii: « Panis Eliæ, inquit, est corpus Christi, quod Judæi et corvi gentibus ministrarunt, carnem in crucis ligno deoetant gentibus preparantes, ac ut corvi una et raucisona voce clamantes ad Pilatum: Crucifige, crucifige eum. »

Alius S. Augustinus, serm. 101 *De Tempore*, ubi omnia gesta Eliæ allegorice applicat Christo et Ecclesie: « B. Elias, inquit, typum habuit Domini Salvatoris. Sicut enim Elias a Judæis persecutionem passus est, ita et verus Elias Dominus noster ab ipsis Judæis reprobatus est et contemptus. Elias reliquit gentem suam, et Christus deseruit Synagogam. Elias abiit in deserto, et Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascabatur, et Christus in deserto mundi hujus gentium fide reficitur. Corvi enim illi, qui beato Eliæ jubente Domino ministrabant, gentium populum figurabant. Propterea et de gentium Ecclesia dicitur: « Quis enim dicitur, illud de-

rusalem. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. » Et mox: « Vere Ecclesia gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, et ante acceptam gratiam, velut morticinis cadaveribus, idolis ministrabat. »

Symbolice Auctor *Mirabil. S. Script.* apud S. Augustinum, lib. II, cap. xvii: « A corvis, ait, ministrari prophetae precipitur, ut scilicet culpam, quam in diluvio commiserat in terra, purgare avis illa videretur, dum ut fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens et fallax erat ante Noe. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium nunc ministeris videretur. Unde vero eas carnes et panes ille corvis detulerit, ipse viderit qui tale officium committit. In quo tamen intendum est, quod ex aliquorum hominum scientium aut asceticum industria corvi hęc acciperent, qui coctos panes et carnes quaslibet quærenterumque preparabant. »

9. VADE IN SAREPHTA SIDONIORUM. — Ubi haec sita erat inter Tyrum et Sidonem in via publica, non procul a litore maris, et ab Eleuthero fluvio, duobus miliaribus distans a Sidone. Dieta est *Sarephtha*, id est *confortoria*, a *ἰσχυρὸς*, id est *conforte*, quod in ea essent officina confortandorum vasorum ex ære, ferro aliisque metallis.

Jubet ergo Deus Eliam extra Israelis fines et Achab persecutoris sui dominium, abire in ditionem Sidoniorum, ut ibi sub rege gentili secure et quiete degeret. Hinc allegorice Elias significat Christum, qui persecutionem patiens a Judæis, Evangelium suum transtulit ad gentes, ubi explicat ipse Christus, *Luce* iv, 25.

Audi Auctorem *Mirabil. S. Script.* lib. II, cap. xviii: « Idcirco ad Sarephtham Sidoniorum saturandus propheta mittitur, ut per illum bona et fidelis vidua pascetur. Ne vero quem moveat, quod Sidoniorum terra hanc eandem plagam pariter cum Israel perpessa erat, dum inde Jeruzel persecutrix prophetaura, et totius vindictæ et facinoris causa, Sidoniorum regis filia paternam originem ducebat. »

PRÆCEPI ENIM IBI MULIERI. — « Præcepi, » id est ordinavi, disposui, providi: non enim proprie Deus præceperat viduæ, cum ei non esset locutus, imo vidua petenti Eliæ frustum panis, negavit se illud habere vers. 12. Si quis tamen contendat Deum revelasse viduæ adventum Eliæ, ac jussisse ut eum exciperet et pasceret eo modo quo Elias postulaturus erat, non repugnabo. Fuit hæc mulier gentilis, utpote Sidonia, sed religiosa et devota, ait S. Chrysostomus, hom. 3 *De Elia*, et Abulensis, *Quest.* xxiv.

12. ET COLLIGO DUO LIGEA, UT FACIAM (COQUAM) ILLUM MIHI ET FILIO HEO, UT COMEDANT ET MORTUUM. — *q. d.* Postquam medicum hęc

mederimus, moriemur fame, quia non habemus aliud quod comedamus.

Allegorice S. Augustinus, serm. 401 *De Temp.* notat « duo ligna » significare crucem Christi; in ea enim sunt duo ligna, scilicet unum erectum, alterum transversum. « Ideo, inquit Augustinus, duo ligna colligebat, quia in typo Eliae Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysterium desiderabat cognoscere. Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est, ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum qui in duobus lignis pependit creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa: Colligo duo ligna ut faciam cibum mihi et filio meo, et manducabimus, et moriemur. Verum est, fratres dilectissimi, nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi huic seculo moriatur: nam quicumque corpus Christi digne manducare voluerit, necesse est ut moriatur praeiudicis, et vivat futuris. »

ET FILIO MEO. — Sic et Chaldaeus; hoc enim est Hebraice *בןי ויהי* *liban*, *levanant*, *verunt*, *filii meis*; significant ergo eam plures habuisse filios, quibus panem eripuit, ut daret Eliae. Eo major fuit ejus virtus. Ita Eucherius.

13. VERUMTAMEN MIHI PRIMUM FAC DE IPSA FARINULA SUBCINERICIUM PANEM, — qui scilicet sub cinere festinato citoque coquitur, ut praesenti urgentique fami Eliae statim succurreret. Sic Abraham Angelis festinantibus coxit panes subcinericios, *Genes. xviii. 6.*

Mystice Eucherius: « Panis subcinericius, inquit, est penitentium satisfactio, juxta illud *Psal. ci*: Quia cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam; his enim satisfactioibus Dominus se pasci hortatur. »

MIHI PRIMUM FAC. — Causam dat S. Prosper, part. II *Praedict.* cap. xxix: « Ut misericordia, ait, primum occupet locum, quam praere ante faciem Dei Scriptura testatur; ex ipso enim omnis copia. » Sic S. Ludovicus, rex Francia, priusquam ipse pranderet, centum pauperibus prandium dabat.

15. QUAE ABIT, ET FECIT JUXTA VERBUM ELIAE. — Mira fuit hujus viduae fides, obedientia, liberalitas, ut modicum farinae sibi ad vitam necessarium daret Elia qui famem hanc induxerat. Unde exclamavit Eucherius: « O magnificentem mulieris animum, o immutabile mentis propositum, o vere venerabile per saecula factum! poculum peti, mox offert: et quod regibus jam forsitan deerat, quod divites non habebant, hoc vidua ex abundantia erogabat. Pascit pane, quae cum filio die postero erat moritura, nec habere se negat; sed fatetur simpliciter, nec metuit prodere veritatem, et non tam postulant, quam quodammodo exigenti omnem causam pandit in medium; quantitatem victus, et numerum personarum, ut non tam hospitum vellet habere quam judicem. » Et inferius: « Erat in illo tempore spectaculum angelis homi-

nibusque gratissimum, quod inter gentes in terra profana vidua mulier jam tunc esset filia Abraham multo hospitalior ipso parente, multo humanior fidei genitore. Erat quidem Abraham hospitalis, et erga peregrinos magno detentus affectu; sed erat vere opulentus, erat dives. » Et paulo post: « Studio humanitatis omnem vim desepit naturalis affectus, non de se, non de parvulis sollicita: nihil eam a mentis proposito revocavit, nec proprii sexus infirmitas, nec matera erga parvulos viscera pietatis: occidit in se naturae officia hospitalitatis intuitu, et effectus est devotus erga hospitem matris animus filiorum crudele sepulcrum. »

16. ET EX ILLA DIE HYDRIA FARINAE NON DEFECIT, *Ver. 16.* ET LECYTHUS OLEI NON EST INMINUTUS, — non per rarefactionem, sed ad libonem novae farinae et olei continuam, ait Abulensis. Unde ex eo dinceps sustentata fuit vidua cum filio, quin et Elias ipse, ut patet vers. 20. Merebatur hoc fides et sanctitas Eliae, item inobedientia et eleemosyna viduae, qua modicum farinae quod habebat, dederat Eliae. Ita S. Prosper, lib. II *De Praedict.* et *promiss.* cap. xxix, quem audi: « Sic anima fenerator Deum, si dum dat in necessitate, sibi consulit ad salutem. Sic repletur anima quae corpore abscedente Domino, castigantem diligens, unius tamen fidem padeo amore custodit, sacramento farris et olei unione munita, secura expectans gratiam pluviam, cum ei dixerit Dominus: Ecce, serve bone, quia in modico fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. »

Audi et Eucherium liberalitatem et virtutem hujus viduae admirantem, et hoc elogio remunerantem: « Facta est igitur manus viduae perenne torcular, et mola jugiter fundens. Equid dico mulieris manus? In verbo prophetae tua domus viduae piorum cellarium facta est. Non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non callidi soles, non nimbus necessarius, non aratum, non agricola, non colonus, sed omnia et in omnibus sermo prophetae afflatus viduae ministrabat. » Pascentem se viduam pavit Elia.

Audi S. Hieronymum, *epist. 40 ad Furiam*: « Recordemur viduae Sareptanae, quae et suae et filiorum saluti Eliae praetulit famem, ut in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitium reliqueret, malens vitam perdere, quam eleemosynam; et in pugillo farinae seminum tibi messis Dominicae preparavit. Farina seritur, et olei capsae nascitur: in Judea frumenti est penuria: granum enim tritici ibi mortuum fuerat, et in gentium vidua olei fluente manabant. » Simili modo S. Euthymius (ejus sanctitas toti orbi sub Justiniano Imperatore inclaruit) farina in monasterio deficiente, illam multiplicavit, dicens: « Bono estote animo: quantum enim egentibus impertitis, duplum nobis Dominus elargietur. Spero enim, quod sicut olim hydria farinae non defecit, ita nunc mine sit defectura. » Ita Eustachius in *ejus Vita*, et ex eo Baronius, anno Christi 564. Part. ratione 22.

symas Anachoreta instar Eliae in duobus dolis pro pauperibus multiplicavit frumentum, et oleum, ut refert Theodoretus in *Histor. Religiosa*, xiv, quem audi: « Hospitum autem et pauperum tam alacri animo curam gerebat, ut patefaceret portas omnibus qui aderam. Dicitur enim habuisse duo dolia: unum quidem frumenti, alterum vero olei. Ex hissempet quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autem ea semper plena benedictione, quae data est viduae Sareptanae, et immissa fuerat in haec dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effudit in omnes eos qui ipsum invocant: et sicut illius hydriam, et guttam jussit scaturire, praebens manipulos seminum hospitalitatis, ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quae ex aequo respondebat ejus animi alacritati. »

Similia saepe fecit S. Joannes Eleemosynarius Archiepiscopus Alexandrinus, teste Leontio in *ejus Vita*. Unde ejus axiomata erant: « Quo plura eroga in pauperes, eo plura semper et majora a Deo recipio. » Unde S. Basilus homil. *De Eleemosyna*, eum comparat puteo, vel fonti qui quo plus aquae effundit, eo amplius aquae ebullientis admittit et recipit. Vide S. Chrysostomum, hom. cui titulus: *Quod eleemosyna sit ars omnium quaestuosissima.*

Allegorice, hydria farinae significabat panem Eucharisticum, qui quotidie a fidelibus comeditur, nec tamen consumitur, aut deficit unquam. Ita Lanfrancus, Algerus et alii scribentes contra Berengarium.

QUOD LOCUTUS FUERAT IN MANU ELIAE, — id est, per Eliam: manus enim est instrumentum instrumentorum; unde notat causam instrumentalem; talis enim respectu Dei fuit Elia.

17. EGROTAVIT FILIUS MULIERIS MATRIS FAMILIAS, — puta viduae jam dicte: haec enim mortuo marito erat sola materfamilias. Permisit, vel immisit hunc morbum Deus puero hoc fine, ut mortuus ab Elia suscitaretur; itaque Eliae fides et virtus apud Ahab et Baalithas splendesceret. Ita Eucherius et alii. Audi S. Augustinum *ad Simplician.* *Quest. V*: « Non malefaciendi causa mortificavit filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quod tantum prophetam, et tunc viduentibus, et posteris commendaret. Sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in Filio, et ideo consequentia probant, et ipsa etiam fiducia, quae credit Elia non ad hoc illud contigisse, ut acerbo lactu ejus hospita affligeret, sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduae, qualem Dei famulum suscepisset. »

Nonnulli censent hunc viduae filium suscitatum ab Elia fuisse Jonam prophetam. « Tradunt Hebraei, inquit S. Hieronymus in *prefat. in Jonam*, hunc esse filium viduae Sareptanae, quem Elias propheta mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum: Nunc cognovi quia vir es tu, et verbum Dei in ore tuo est veritas; et ob hanc

causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amnithi enim in nostra lingua veritatem sonat, et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est filius esse dicitur veritatis. » Sic ipse, utique recitando non probando. Jonas enim Hebraeus erat, hic vero filius erat Sidonius. Vide dicta *proemio in Jonam*.

18. INGRESSUS ES AD ME, UT REMEMORARENTUR INIQUITATES MEAE, ET INTERFICERES FILIUM MEUM. — *g. d.* Num venisti ad me, o Elia, tanquam minister Elohim, id est, Dei summi iudicis et vindicis, ut ad tuum ingressum purior morte filii? Videbat enim ipsa Eliam quasi ministrum Dei punire seclera et scelotes, ut eum toti Israeli ob cultum Baal induxit sterilitatem et famem. Est enim naturalis quasi antipathia inter sanctitatem et iniquitatem, ac inter sanctos et iniquos; ut una predominantis aliam excludat et quasi interfimat. Sic Eliae severa sanctitas, et sancta severitas videbatur hic elidere omnem iniquitatem familie viduae, ac in ejus punishmentem occidere viduae filium. Notat Theodoretus humilitatem et penitentiae spiritum in hac vidua, quod mortem filii suis peccatis ascribat; ideoque meruit eum resuscitari. Audi Theodoretum hic, *Quest. LII*: « Sunt, inquit, admiratione digna verba viduae: tuo, inquit, lumine aperta sunt mea peccata, quae occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potius suis peccatis tribuit quod acciderat. Tantum enim ei profuit prophetae doctrina: » quasi praehumilitate doluerit, se prophetam in domum suam indigne suscepisse.

21. ET EXPANDIT SE, ATQUE MENSUS EST SUPER PUERUM. — Hebraice *פניו תימדוד*, id est *seipsum admensus est* (est enim conjugationis *Hifpael*, quae notat actionem reflexam agentis in seipsum), super puerum commensus est, et coequavit seipsum puero, scilicet eo suum ori pueri, manibus manus, pectus pectori, tibias tibias, pedes pedibus applicando, et quoad fieri poterat per contractionem coequando. Unde Chaldaeus vertit, *coarctavit se super puerum*; Septuaginta, *inflavit puero ter*; Vatablus, *incurvit puero*.

Quaeres, cur id fecit Elia? Respondeo: Varia fuere cause. Prima ethica et pathetica, ut ostenderet exitium suum in viduam et filium ejus amorem, indeque dolorem de ejus morte. Quos enim summe diligimus, hos amplectamur, arctaque complectimur, nec nos ab eis avelli patimur, quasi eis nostras vires, spiritum et vitam inspirare velimus. Sic S. Ambrosius, *Orat. funebri in obitu fratris sui Satyri*, idem se illi fecisse commemorat: « Nihil, inquit, mihi profuit uti-mos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirantem morienti. »

Secunda physica causa fuit, ait Abulensis, quod Elias hoc suo in puerum incurvit, et insuflatione volebat corpus ejus ex more frigidum calcare, itaque disponere ad animam vitamque recipien-

dam, sicut disponit mater corpus embryonis in utero, ut Deus deinde jam calefacto et disposito, infundat animam rationalem; hoc enim est opus solius Dei, matris vero opus est materiam disponere. Sic gallina ova incubando calefacit, ut deinde in pullos formentur et animentur.

Tertia symbolica, ut ostenderet quam ardua et difficilis res esset mortuum e morte suscitare ad vitam. Unde idem fecit Eliseus imitans Eliam magistrum suum, IV Reg. iv, 34. Rursum, ut liqueret quanta esset distantia inter miracula Eliae et Christi: Elias enim laboriose se fatigando et sudando suscitavit mortuum; Christus vero facilitate solo jussu et verbo, utpote mortis vitæque Dominus.

Quarta theologica, ut sancti corporis sui contactu cadaver pueri Deo commendaret, ait Serarius. Corpora enim sanctorum non tantum viva sunt, sed et vivifica; adeo ut corpus Elisei jam mortui mortuum suscitavit quondam a latronibus occisum, qui in sepulcrum Elisei projectus, dum sacra ejus ossa tetigisset, divina virtute revixit, uti narratur IV Reg. xii, 20. Aliam magisque propinquam causam dat Abulensis: Elias, ait, ter puero incubuit: nam primo ei incubuit orans Deum, ut eum resuscitaret: sed cum id videret non fieri, secundo incumbens puero, oravit ferventius. Verum cum nec tum quidem surgeret puer, tertio eidem incumbens oravit ardentissimo, sicut tandem vitam puero impetravit. Idem fecit Eliseus. Idem nos imitari et facere convenit. Deus enim in rebus arduis vult sepius et ardentius rogari, ut illud ferventibus, et zelo quasi armatis et inflammatis precibus ab eo extorqueamus. Hoc enim res meretur, sicutque crescit nostra devotio, virtus et meritum. Atque hinc est fructus perseverantiae et orationis perseverantis, se sequere intendentes et ardentis.

Quinta mathematica; ut enim corpus majus æquetur minori, debet illud amplecti, ac vicissim minus majori se subiciat, oportet. Id patet in circulo minori incluso in majori. Hic enim subicit se majori: unde major eum amplectitur et proportionaliter sibi æquat, quia uterque idem centrum ambit, et ad illud circumcirea gyrat, ita ut nulla linea diametralis a majori circulo ad centrum duci possit, nisi illa prius circulum minorem intermedium seet et pertransat. Quare nulla pars in circulo majori assignari potest, cui non pars similis et proportionaliter æqualis in minori respondeat. Quare docemur, quod ut inferiores Superioribus uniantur, et quasi adæquantur, necesse sit ut Superiores ad inferiores se per amorem inclinent, eosque complectantur; inferiores vero Superioribus debita obedientia, et subordinatione se submittant et substernant. Hæc ergo sunt duæ virtutes sublimes, quæ omnia complant, adæquant et uniant, nimirum charitas et humilitas. Sicut Elias charitate amplexans puerum, et puer naturaliter se submitbens Eliae, ei se

quasi adæquavit, itaque ab eodem animam, spiritum et vitam recepit.

Allegoricam et præcipuum causam dat S. Prosper, parte II Prædict. cap. xxxi, scilicet, ut Elias suo gestu representaret mysterium Incarnationis, quo Dei Filius suam deitatem commensus est, et quasi conquivit nostræ humane nature, quam assumpsit, ut per eam nos peccato mortuos vivificaret. « Elias et post eum Eliseus, ait Prosper, ut mortuum parvulum suscitaret, juvenilia membra contexit. Et Dominus Jesus seipsum exinanivit formam servi accipiens: parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret istud corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriae suæ. Jacens subter se frigidum suo calore succendit: similiter et noster Salvator Dominus mundum, a cuius calore non est jam qui se abscondat. Insufflavit ille tertio jacenti, ut trina confessio infunderet credenti: sic suscitatus est mortuus, dum a morte perpetua justificatus est impius. »

Unde Chaldaeus vertit, *coarctavit se super puerum*; Septuaginta, *insufflavit ter in puerum*. Sicut enim gallina incubat ovis, totamque se super ea expandit, et quasi commensurat, ut ea calefaciat et vivificet: sic et deitas Christi se expandit super totam humanitatem nostram, eique quasi seipsum admensa est et coequivit, ut eam frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuum vivificaret: singula enim hominis membra omnesque animæ potentiae per peccatum spirituales erant mortuæ, frigide, aride et exanimæ; in quæ in singulis deitas incumbens, insufflavit in eas, et inhalavit spiritum gratiæ et vitæ spiritualis. Tertio autem Elias incubuit puero eique seipsum coarctando admensus est, quia Christus tertio seipsum coarctavit, et commensus est humane nature, scilicet primo in utero; secundo, in præsepio; tertio, in cruce: itaque mortuum genus humanum vivificavit, eique spiritum charitatis, paupertatis, et patientiæ inspiravit, et eum clamore valido ac lacrymis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Ita Lyranus, Angelomus, Eucherius, Salianus.

Audi S. Augustinum, serm. 201 De Temp.: « Filius viduæ defunctus iacobus, quia filius Ecclesie, id est populus Gentium, multis peccatis et criminibus mortuus est. Orante Elia filius viduæ suscitatur, veniente Christo filius Ecclesie, id est populus Christianus, de carcere mortis reducitur; Elias inclinatur; in oratione, et vivificatur viduæ filius; et Christus procumbit in passione, et suscitatur populus Christianus. » Et post nonnulla: « Nam quod tribus vocibus inclinatur, mysterium Trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est populum Gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater et Filius sine Spiritu Sancto; sed tota Trinitas suscitavit. Denique hoc etiam in sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, ut novus surgere mereatur. » Hoc igitur est verbum abbreviatum, de quo

Apostolus, Rom. ix, 28: « Ut quod celo non capiebatur, præsepio caperetur, ait S. Cyprianus, lib. II Contra Judæos, cap. iii, nimirum Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens.

Tropologica causa fuit, ut ostenderet Elias virum zelosum et charitate flagrantem, qui convertere satagit animas vitis et concupiscentis mortuas, debere per magnam compassionem, commiserationem et zelum iis quasi se coequare et commetiri. ut eis frigidis et torpentibus spiritum vite inhalet; peccator enim est quasi cadaver mortuum et frigidum: quare ingenti et crebro conacionatoris, confessorii et monitoris ardore opus est, ut calorem penitentiae et devotionis ei aspiat, quo ad vitam gratiæ a Deo recipiendam se disponat. Sic enim ignis frigidum lignum prius calefacit, ut deinde illud igniat, et gallina ova diu calefacit, ut animentur. Ita faciebat Paulus dicens: « Factus sum infirmus infirmis, ut infir-

mos lucrificam. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » I Corinth. ix, 22. Et: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » II Corinth. xi, 29. Et: « Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, » Galat. iv, 19.

Anagogica causa fuit, ut significaret Christum in resurrectione commensurum, et quasi coequaturum nos suæ gloriæ et corpori glorioso, iuxta illud: « Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, » Philip. iii, 21.

22. ET REVERSA EST ANIMA PUERI INTRA EUM. — « Reversa, » scilicet e limbo. Hinc patet animæ humanæ immortalitas. Ille puer est primus ab origine mundi a morte ad vitam suscitatus, nec enim alium eo priorem suscitatum legimus. Ita Cajetanus. Denique coenaculum, sive locus in quo Elias hunc puerum e morte suscitavit, etiamnum ostenditur, ait Adrichomius, in Sarepta.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias sistit se regi Achab, et non se, sed ipsum suis idolis turbasse Israelem assererat. Mar. vers. 21, miraculo evocationis ignis et celo in victimam certat cum prophetis Baal, vindexque jubet omnes nactari. Denique, vers. 41, pluviam Israeli a se siccitate damnato indeque fecunditatem restituit.

1. Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. 2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum valde. 4. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. 5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant. 6. Diviseruntque sibi regiones, ut circumirent eas: Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum. 7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias? 8. Cui ille respondit: Ego. Vade, et dic domino tuo: Adest Elias. 9. Et ille: Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me? 10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quod non miserit dominus meus te requirens? et respondentibus cunctis: Non est hic: adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime reperireris. 11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias. 12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro, et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timeo Dominum ab infantia sua. 13. Nunquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? 14. Et nunc tu dicis: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me? 15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliae. 17. Et cum